

# r. Coesfeld

## achträge

S 53

[1 53]

Der Offizial und Domherr Keiner von Davils und Heinrich, Dechant der  
 Christianität Trier, bekunden den Verkauf eines Zehnten bei Bausfert, Sr. Bisburg.  
 Nos R. de Daivil(is) canonicus et officialis ac H. decanus christianitatis  
 Treverensis notum facimus universis, ad quos presens scriptum pervenerit,  
 quod propter hoc specialiter in nostra presentia constitutus Thilemannus,  
 dictus de Eltre famulus et Agnes eius uxor confessi sunt et recognoverunt  
 coram nobis, se ex causa necessaria, utili et fructuosa sociata manu vendidisse  
 Thulemanno in Bytdeburg preposito decimam integraliter cum appendiciis,  
 quam apud villam Bustat hactenus optinuerunt, ipsi et eorum antecessores  
 pro XL libris et X s(olidis) Treverensium denariorum bonorum et legalium,  
 precio videlicet competenti hiisdem conjugibus numerato, tradito plenarie et  
 persoluto ac in urgentem necessitatem, usum et utilitatem ipsius Agnetis  
 converso eandem decimam, ius, dominium et proprietatem in ipsa a dictis  
 coniugibus hactenus optenta in dictum Thulemannum prepositum iusto  
 venditionis tytulo transferentes, ipsamque sibi cum totali sui iure tradentes  
 et in possessionem eiusdem ipsum mittentes, ac super eandem decimam cum  
 suis appendiciis ab eis, ut dictum est, ipsi preposito venditam et super  
 omne ius, dominium et proprietatem, que in ipsa eis simul et specialiter seu  
 privatim ipsi Agneti hactenus competebat seu competere quoquomodo vide-  
 batur, rite ac solite effestucantes. Renunciavit quoque dicta Agnes omni  
 privilegio dotis, juri ypothecarum, quod in dictis bonis sibi competeret aut  
 competere posset, conditioni ob causam et sine causa, exceptioni doli mali  
 et venditionis non facte et generaliter ac specialiter omni beneficio iuris  
 canonici et civilis et consuetudinarii, quod pro expresse renuntiato vult  
 haberi, per quod contra predictam venditionem ac eiusdem ratificationem  
 venire posset quomodolibet vel deberet, iurans ad sanctos Dei ac fide corpo-  
 rali prestita promittens, premissa omnia et singula se inviolabiliter observa-  
 turam; supplicans eciam, sibi a nobis preceptum fieri ac mandatum de supra-  
 scriptis omnibus et singulis fideliter observandis. Et nos eidem Agneti sub  
 pena excommunicacionis preceptum fecimus presentibus et mandatum de  
 prescriptis omnibus et singulis, prout premissa dicta ac acta sunt, inviolabiliter  
 observandis. In cuius rei testimonium et memoriam presens instrumentum  
 inde confectum ad petitionem et ragatum (!) dictorum Thilemanni et Agnetis  
 coniugalium nos R. de Davils, canonicus et officialis, sigillo curie Treverensis,  
 nos vero H., decanus christianitatis predictarum, sigillo venerabilis domini  
 nostri Ar[noldi] maioris archidyaconi Treverensis, quo in causis utimur, fecimus  
 communiri. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> ducentesimo septuagesimo  
 secundo, feria. . . .

Orig. 1 Siegel (sigillum curie Trevirens.) mit Rückstempel (2 Schlüssel) er-  
 halten; zweites ab. — Bettingen Nr. 6 (3).